



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XXVII. Scutum est Christianorum. Maria contra Dæmonum ac  
animarum hostium insultus; fortis est armatura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

# DISCURSUS XXVII.

*Ecclesia Turris Davidica contra dæmones,  
Virgo Maria est.*

**E**cclesiam corpus mysticum vocat S. Paulus Apostolus ad Coloss. i. cap. eique pro Capite Christum assignat: *Ipse est caput corporis Ecclesie, qui est Principium & Primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Collum hujus corporis mystici Ecclesie, Virgo Maria est, teste S. Hieronymo. ferm. de Assumpt. B. V. *Omnis plenitudo gratia, quæ est in Christo, est in Mariâ, in Christo sicut in capite, in Mariâ sicut in collo, corpori Ecclesia transfundente.* Collum hoc sponsæ suæ Ecclesie, turri David comparat sponsus. Cant. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ est edificata cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Turris Davidica Virgo Maria est, id est, contra dæmones, fidelium Protectrix potentissima. SS. Patrum testimonia percipiamus. *Turris fortissima nomen Domina, ad ipsam fugiet peccator, & liberabitur, hæc defendit quoslibet, & quantumlibet peccatores.* scribit Richardus à S. Laurentio. lib. 35. de Laud. B. V. *Facta est hæc Turris Ecclesie propugnaculum, & peccatorum unicum refugium, ut ad ipsam confugiant omnes rei, omnes mali, omnes afflicti, & eâ protegente liberentur ab hoste: ô homo! in quâcung. tribulatione ad Mariam fuge, sive peccatis afflictus, sive persecutionibus attritus, sive tentationibus turbatus, hanc Turrim petito, ad Mariam confugito, mille enim clypei pendent ex eâ.* perorat S. Thomas à Villâ Novâ. Conc. i. de Assumpt. B. V. *Beata S. Thomas Virgo murus est nostra defensionis, & super eam edificavit tota Trinitas propugnacula argentea, ut precibus suis bene sonantibus inimicum repellat, & hoc signatur in argento, quod ceteris*

Exordium.

SS. Patres.

Richardus à S. Laurentio.

S. Thomas à Villâ Novâ



metallus dulcius sonat: subjunxit: & ubera mea sicut turris  
 quasi dicat; misericordia mea & pietas mea, quibus quasi uberi-  
 bus, suffragiorum dulcedine lacto filios Ecclesia, sunt turris, muni-  
 mentum scilicet, refugium & securitas peccatorum, ait deo-  
 tissimus Hailgrinus, in cap. 8. Cant. Per collum intelligitur  
 beata Virgo, per ipsam enim quasi excellentissimam, totum cor-  
 pus Ecclesia, unitur capiti Christo; hac est sicut turris David,  
 id est, manu fortis, quia fideles in eâ forte refugium inveniunt;  
 & hac est adificata cum propugnaculis, id est, adiutorium habet  
 à Patre, & Filio, & Spiritu sancto; mille etiam clypei, id est  
 omnium Angelorum prasidia, pendens ex eâ, ad defensionem  
 ipsorum, qui confugerunt ad ipsam; omnis etiam armatura forti-  
 tium pendet ex ipsâ, quia omnes Electi eum, quem ipsa adiuvare  
 voluerit, adjuvabunt. doctissime interpretatur B. Albertus  
 Magnus, serm. 2. de Assumpt. B. V. Turris fortissima nomen  
 Domina, ad ipsam confugiet peccator, & salvabitur. disertissime  
 loquitur S. Antonius de Paduâ, serm. in Dom. 3. Quadrag. Quo-  
 dragesimali 2. Sicut ad presentiam ignis liquefit cera, sicut aro-  
 to pulvis dispergitur, sic ad invocationem nominis Maria, inte-  
 gra infernorum spirituum agmina fugantur, ac dispergantur.  
 Concludit S. Franciscus de Assisio. In secundo Codice. Tur-  
 ris igitur Davidica, contra dæmones munitissima est Virgo  
 Maria, hanc Deo inspirante dignis Conceptibus paulo pro-  
 fundius subintremus.

## CONCEPTUS I.

Confirma-  
 tio, seu De-  
 ductio,

De munitissimis turribus superatur hostis, ac fugit, non  
 non omnes insidie impediuntur hostiles; post lapsum Adam  
 in Paradiso, inimicitiam capitalem posuit Deus inter mulie-  
 rem ac serpentem, ejusque caput conterendum à muliere pro-  
 dixit. Gen. 3. cap. Inimicitias ponam inter te & mulierem, quæ  
 conteret caput tuum. Serpentem illum mulieris inimicum  
 alium non esse, quàm illum eundem infernalem sathana  
 qui Evam decepit in Paradiso, extra dubium est; solum quæ  
 p. 198



ritur, quænam sit illa mulier adeo fortis & invicta, quæ animo plus quam virili sese serpenti victrix opposuit? Quonam medio & arte contriverit ipsa caput suum? Respondet S. Fulbertus. de Nat. B. V. Mulierem illam, non aliam fuisse, nisi benedictam Dei Genitricem Mariam, neque aliis armis, quam humilitate contrivisse caput serpentis, qui eadem, quæ de cælo turbatus fuerat, superbiâ, Evam decepit in Paradiso, de quo & ipsa post lapsum pariter ejecta fuit; unde ait: *Si interrogatur, in quo serpentis caput ipsa contrivit; nimirum in eo, quod humilitatem Deo sacravit, ipsa contrivit caput ejus.* Ab eo ipso tempore tantâ potentiâ resistit dæmonibus, ut infernales in Christianos insidias efficaciter repellat, confugientes ad eam peccatores de iporum faucibus eripiat, ipsique etiam dæmones, solo audito Mariæ nomine fugiant, ac contremiscant. Testis est S. Brigitta, lib. Revelat. *Super omnes etiam malignos spiritus, ipsam Deus sic potentem effecit, quod quotiescung, aliquem hominem, Virginis auxilium ex charitate implorantem impugnaverint, ad ipsius Virginis nutum illi pavidi procul diffugiunt, volentes potius pœnas suas & miseras sibi multiplicari, quam ejusdem Virginis potentiam, super se taliter dominari.* Confirmat doctissimus Idiota, de Contemplat. B. V. cap. 5. *Sathan fugit, infernus tremat, dum dico, & solum nomino Mariam.* O munitissima Turris Davidica contra dæmones, Virgo Maria!

## CONCEPTUS II.

Invictæ potentiæ fuit olim virga illa Moyfi Exod. 14. cap. quæ mare rubrum dividens, sicco vestigio per medium maris transire fecit Israël, persequentes verò Ægyptios una cum curribus & equitibus Pharaonis in mediis involvit fluctibus, ita ut nec unus remanserit ex eis. *Ingressus est enim eques Pharaon cum curribus & equitibus ejus in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris, filii autem Israël ambulaverunt per siccum in medio ejus.* cantat Moyses post victoriam. 15. cap. Virga ejus vere aurea Israël dura ac ferrea Ægyptiis fuit. In duriorum Ægyptiacâ servitutem abducere fideles Christi animas dæmon fata-



fatagit, nec tam crudeliter Israel populum Dei electum periculus est Pharaon cum suis Ægyptiis, quam cum luciferianis suis Dei imagini insidias struat superbus Lucifer, mare rubrum tentationum, tribulationum, in hac lachrymarum valle, transendum est omnibus, equitatu itaque Dei, virgâ aureâ opus est nobis, cujus auxiliatrice potentiâ, sicco vestigio transeat peccator, cum suis verò luciferianis, Lucifer infernalis motu involvatur in fluctibus, Ubinam ille tam necessarius Dei equitatus? Ubi illa aurea virga, ô miser peccator! Mariam quaerit, Mariam invoca, equitatum Dei tibi felicem ac perpetuo salutarem ostendit Marianus Gerson, Tract. 4. super Magnif. *Maria comparatur equitatu Dei in curribus Pharaonis, jam non propter se, sed propter nos viatores, quos à diabolico Pharaonis affectu incursum, quoniam submergit Pharaonem istum, regem super omnes filios superbia. O Maria! virga aurea persequitur, contra ferrea duris, (exclamat seraphicè S. Bonaventura. in Spec. B. lect. 12.) virga aurea hominibus, virga ferrea & dura dæmonibus, arceas dæmones à nobis; ex dignitate, quâ Dei Mater imperare potes dæmonibus, compece dæmones, ne nobis noceant, precipe Angelis, ut nos custodiant. Sis munitissima nobis contra dæmones Turris Davidica.*

### CONCEPTUS III.

Duce vel maximè indiget homo peregrinus in hoc mundo qui ei viam ostendat bonam, atque ab incursione latronum potenter defendat, hinc volens olim Deus, longo itinere per desertam, & in via & in aquosa, in terram promissionis, terram lactis & mellis fluentem, ducere populum suum Israel, Moysen primum de in Josue ducem præbuit; *Dominus autem præcedebat eos, ascendendam viam, per diem in columnâ nubis, & per noctem in columnâ ignis. Exod. 13. cap. Dux populi Dei Josue vir fortis ac robustus, & plenus sapientiâ; Fugavit Amalec, & populum ejus in gladio. Exod. 17. cap. & numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. Exodi. 13. cap. Nemo nostrum, teste S. Paulo Apostolo, stationem permanentem*



habet in hoc sæculo, sed omnes futuram inquirimus. In presentem enim vitam (ut verbis utar S. Gregorii Papæ, Hom. 11. in Evangelia) quasi in viâ sumus, quâ ad patriam pergitur, maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidem latrunculi obsident. Inter tot pericula constitutis nobis, inter tot hostes inermibus, ubinam fidelis ac robustus dux Josue? Mulierem fortem quis inveniet? ubi per diem columna nubis? ubi columna ignis per noctem? Scutum belliducis Josue Virgo Maria est, quæ nos protegit ac defendit, hostem verò animarum depellit, ac devincit. consolatur nos B. Albertus Magnus, in Bibl. Maria. lib. Josue. num. 5. Maria est illa fortis mulier, de quâ Prov. ult. cujus pretium de ultimis finibus, id est, de divinitate & humanitate conjunctis. inquit S. Antoninus. Part. 4. Tit. 15. cap. 44. §. 3. Maria est nobis columna nubis, quia tanquam nubes, protegit ab aestu divina indignationis, protegit etiam ab aestu diabolica tentationis, sicut dicitur in Psalmo: expandis nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem: Maria quoque columna ignis est, illuminans nos, imò illuminans mundum, multis misericordia sua beneficiis. scribit S. Bonaventura. in Spec. B. V. lect. 3. & confirmat S. Bernardinus Senensis. serm. de Assumpt. B. V. art. 3. cap. 3. De hac legitur Exodi. 13. quod populum deducebat, & umbrabat; nam aliquando precedebat, aliquando sequebatur, aliquando superferebatur, ut mysticè patrocinia multiplicia beata Virginis indicerentur, erga populum electorum, & omnium Christianorum. quorum ipsa contra dæmones est munitissima turris Davidica.

#### CONCEPTUS IV.

Turris munitissimæ instar populo Israelitico fortis mulier Jahel fuit, quæ vel ideo à sacris litteris commendatur, quòd Sisaram, inimicarum turmarum Ducem, clavo interficiente confixerit. Tulit itaq; Jahel uxor Aber, clavum tabernaculi assumens pariter & malleum, & ingressa absconditè & cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussitq; malleo, defixit in cerebrum usq; ad terram, qui soporem morti socians



defecit & mortuus est. Judic. 4. cap. unde non immerito victoriam cecinit Debora Prophetissa. *Nova bella elegit Dominus, portas hostium ipse subvertit, clypeus & hasta, non apparuerunt in quadraginta millibus Israël.* Quis est, qui nesciat, sathanam esse inferorum Principem, inimicorum nostrorum capitalium truculentissimum antesignanum, de quo Christus ipse in ultimâ cenâ Magister optimus dixit Luc. 22. cap. *Sathanas cepit vos, ut cribraret sicut triticum.* Hunc Sisaram infernalem, fortissima mulierum Virgo Maria, per Jahel pridem iam figurata, clavo maternitatis Dei tam potenter affixit a verno, ut ibidem alligatus rabidus canis, latrare quidem infelix, laedere verò, vulnerare, aut mordere pro libito in hoc mundo neminem possit. Conceptus est S. Bonaventuræ, in Spec. B. V. Lect. 15. *Beata Virgo per Jahel signata esse potest, qua clavo Sisaram interfecit: Sisara exclusio gaudii interpretatur, & bene diabolus signat, qui à gaudio cœlesti exclusus, etiam alios excludere festinat; Benedicta ait aq. Jahel, caput Sisara clavo interficiente confixit, quando Benedicta Maria, virtutem sathane, regere discipline in se extinxit.* Cui proinde Triumphatrici accinatur orbis. *Nova bella elegit Dominus, portas hostium ipse subvertit, sathan ac dæmones non apparuerunt in quadraginta millibus Christianorum, Mariam Turrim Davidicam devotè invocantium.*

### CONCEPTUS V.

Adversus turrim carneam Goliathi, minutissimus David armavit se, eumque felicissimè devicit, ac prostravit: Quânam catafracturâ indutum fuisse creditis generosum hunc militem? quâ superbâ fulgentem Galeâ? quo accictum gladiâ quem gestantem clypeum? *Tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit quinque limpidissimos lapides et torrente, & misit eos in peram pastorem, quam habebat secum & fundam manutulit, & processit adversum Philistæum. 1. Regum, 17. cap. Torrentem voluptatis, vocat Mariam Virginem, Rupertus Abbas. lib. 1. in Cant. O beata Maria!*



*datio gaudii, vis amoris, torrens voluptatis!* de hoc torrente quinque limpidiſſimos lapides fidelis Chriſtianus ſumit, quando ſanctum Mariæ nomen quinque litteris conſtans devotè pronuntiat, eoſque infernalis Goliathi inſidias feciliter ſuperat. Ita docet S. Bernardus. citatus apud Pelbartum in Stellario, lib. 6. Part. 1. Ant. 2. & Benſonium ſuper Magnif. *Sicut Chriſtus, quinque vulneribus ſuis, contulit plenè remedia mundo, ſic Maria ſuo ſanctiſſimo nomine, quod quinque litteris conſtat, confert quotidie veniam peccatoribus in hoc mundo.* Maria Animabus Reſis Inferni Adjutrix, Materno Affectu Repellit Inimicum Animarum. Muniſſima contra dæmones turris Davidica.

Hortanti itaque obſequamur Richardo à S. Laurentio, Epilogus, lib. 1. de laud. B. V. cap. 2. *Roganda eſt igitur aſſiduè Maria, ut nomen ſuum, quod eſt, Domina, interpretetur in nobis tentatores noſtros expugnando, & ſe turrim fortitudinis nobis exhibendo, à facie inimici, & ut hoc nobis præſtare dignetur, nomen ejus & memoriale, in deſiderio anima, & in jugi memoriâ teneatur.* Amen.

*Virgo Triumphatrix ſathana, vitæ reparatrix,  
Ad te miſer refugit, mors, ſathanaſque fugit,  
Te turrim David, contra hoſtes ædificavit,  
Qui cælum donat, quando Maria ſonat.*



CC 2

DI.